



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Die XXV. Maji. In Festo S. Gregorii VII. Papae & Confessoris

[Paderborn?, 1770?]

Lectio VI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62786](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62786)



decimo Kalendas Maji, Anno Christi millesimo septuagesimo tertio, summus Pontifex electus, sicut sol effulsit in Domo DEI; nam potens opere & sermone, Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ, Fidei propagandæ, libertati Ecclesiæ restituendæ, extirpandis erroribus, & corruptelis tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum ætate nullus Pontificum fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesia DEI labores, molestiasque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acrius pugnaverit. Aliquot Provincias à Simoniaca labe expurgavit. Contra Henrici Imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta impavidus permansit, seque pro Muro Domui Israël ponere non timuit, ac eundem Henricum in profundum malorum prolapsum Fidelium communionem, regnóque privavit, atque subditos populos fide ei datâ liberavit.

*R.* Posui. *Lectio VI.*

**D**um Missarum solemniam perageret, visa est viris piis columba è cælo delapsa humero ejus dextro insidens alis extensis caput ejus velare, quo significatum est, Spiritus Sancti afflatu, non humanæ prudentiæ rationibus ipsum duci in Ecclesiæ regimine, Cùm ab iniqui Henrici exercitu Romæ gravi obsidione premeretur, excitatum ab hostibus incendium signo Crucis extinxit. De  
ejus



ejus manu tandem à Roberto Guiscardo Du-  
ce Northmanno ereptus, Cassinum se con-  
tulit; atque inde Salernum ad dedicandam  
Ecclesiam Sancti Matthæi Apostoli conten-  
dit. Cùm aliquando in ea Civitate sermo-  
nem habuisset ad Populum, ærumnis con-  
fectus in morbum incidit, quo se interitu-  
rum præsciuit. Postrema morientis Grego-  
rii verba fuere: Dilexi justitiam, & odivi  
iniquitatem, propterea morior in exilio. In-  
numerabilia sunt, quæ vel fortiter sustinuit,  
vel multis coactis in Urbe Synodis sapienter  
constituit; Vir verè Sanctus, criminum  
Vindex, & acerrimus Ecclesiæ Defensor.  
Exactis, itaque in Pontificatu annis duode-  
cim migravit in cælum, Anno Salutis mille-  
simi o octogesimo quinto, pluribus in vita,  
& post mortem Miraculis clarus, ejúsque  
sacrum Corpus in Cathedrali Basilica Saler-  
nitana est honorificè conditum.

¶. Iste est.

### IN III. NOCTURNO.

*Homil. S. Hilarii in Evang. Vigilate. de  
eod. com. 2do loco. Missa Statuit. Evang. ut  
suprà.*

